

Acti Concord
torum Acti
de Antiqui
nicis
ana

Nf. 96.



SAMVELIS GELHVDI

DE

BELLO ET PACE

ORATIO,

In quâ de Origine, Naturâ & In-
commodis Belli, item de Pacis Encomiô disse-
ratur, in perpetuam pacis à Deo tot gemitibus, tot su-
spiriis impetratæ, & Monasterij publicatæ & confir-
mata, memoriam postridiè festi Eucharistici O&. Id.

Novemb. anni superioris per totum Electora-
tum Brandenburgensem habiti,

Recitata

GARDELEGIAE SENONVM,

Iam vero typis excusa



HELMESTADI,

Apud HENNINGVM MULLERVM

ANNO MDC LI. 1. 296

91714





CVM VOTO DEVOTO

ET

Salute Pl. à Salutis fonte,

VIRIS,

*Consultissimis, Prudentissimis, Morum Gra-
vitate, Virtutum Auctoritate, Eruditionis
Præstantiâ, multoq; rerum usu & experien-
tiâ Præstantissimis*

DNN. COSS. CÆTERIS-
QVE INCLVTÆ REIPUBLICÆ
GARDLEGIANÆ TVM CAMERARIIS TVM
SENATORIBVS, VT ET LAVDATISSIMO
LITERATORVM CIVIUM
ORDINI,

DNN. PATRONIS PROMOTORI-
BVS ET AMICIS SVSPICIENDIS MVL-
TVM ET AETATEM VENERANDIS, PRAESEN-
TEM DE BELLO ET PACE DISCVRSVM,
STRENÆ LOCO

offert & dedicat

S. G.



Quod Deus benè vertat!

Illuxit tandem, aspirante divini numinis aurâ, & felicissimo exortu desiderii nostris respondit octava Iduum Novembris, quæ sicuti ex mandatò Serenissimi nostri Electoris ac Domini, Dn. Friderici V Vilhelmi, autoris hodierni gaudij, ac dedicato-
ris, per universam March. Vet. & Nov., Mediam, & eam quæ Ucaria dicitur, summâ festivitate & singulari omnium lætitiâ celebratur; ita etiam ob rem tot annis, tot precibus, tot votis, tot lachrymis & gemitibus expetitam, Auream pacem dico, omnibus nobis, imò toti Germaniæ lætissima est, & albô signanda calculô. Quotusquisque enim est, qui nesciat, Audit. Osnabrugi & Monasterij, cum per se satis splendidis, tum vel ob hoc ipsum nunquam satis celebrandis urbibus, pridie Iduum Oct. nostrô calculô, anni supra millesimum sexcentessimum quadragesimi octavi, inter Inviçtissimum Imperatorem Ferdinandum Tertium, Cæsarem verè pacificum, verè Augustum, & inter Serenissimam, & potentissimam Principem Christinam Svecorum, Gothorum & Vandalorum Reginam, magni parentis Gustavi Adolphi, ejus nominis secundi, gloriosissimæ memoriæ prolem unicam, unanimi omnium voto initam pacem, publicatam & proclamatam esse. Nunquam profectò Ianuariæ Calendæ tot ominibus exceptæ, nunquam latioribus auspiciis ac votis libertati illuxerunt, quàm præsens de quo loquimur dies. Ecce enim, cum ob varia nostra delicta, hinc atq; hinc instructas feriatas acies
A 2 vidisse.

vidissemus, formidabilem armorum crepitum audissemus,
inamabilem tantæ multitudinis fremitum, oculos mina-
ces, terrificum taratantaræ cantum & bombardarum toni-
trua exhorruissemus, barbaras cohortes ipsò vultu sono-
que vocis horrendas aluissemus, & tantum non periissemus,
benignissimus Deus tristissimo huic bello se miscuit,
& consultantium animos cœlesti igne inflammavit, ut nil
nisi pacem, ceu perfectissimum omnium bonorum penu-
quærent, quæsitam invenirent, inventam probarent,
probatam confirmarent, bellum autem impium, & ad va-
stitatem duntaxat & perniciem paratum, detestarentur.
Quæ res, quia dubio procul afflictissimæ nostræ Germa-
niæ, singulari Dei munere ac providentiâ concessa est,
nunquam, ne in extremo quidem vitæ nostræ tempore,
eam oblivisci aut dissimulare debemus. Hoc enim quid
esset aliud, quàm aut non agnoscere divinum munus, quod
infelicis imprudentiæ, aut negligere ac parùm curare,
quod manifestè impium & valde perniciosum, cum nulla
res alia æque nobis obstringat Deum, amicumq; ac bene-
volum reddat, quàm si memoriam beneficiorum, quæ
præstitit, sanctè semper custodiamus. Et herclè si in cæ-
teris rebus nihil prudenter suscipi, nihil finire feliciter &
prosperè potest (manca enim est omnis mortalium indu-
stria omnisq; conatus nisi favor adspiret divinus) quis
quæso dubitare vel ausit vel possit, hoc tam arduum, tam-
que difficile pacis negotium, quæ omnium bonarum re-
rum & parens est & nutrix, vel deliberari vel obtineri po-
tuisse, nisi summum, quod omnia moderatur Numen, tot
precibus tot votis, quæ inter quotidianas belli calamito-
sissimi calamitates, tot hominum myriades assidue fude-
runt & nuncupârunt, adductum fuisset & commotum, ut
tandem aliquando jis opem ferret & exoptatissimæ pacis
tempo-

tempora reduceret, quorum tot documentis patientiam probasset. Deum immortalem! quis nostrum paucis ab hinc annis putasset se pacem rem omnium optimam, omnium jucundissimam iterum visuram esse? Scilicet bellum illud triginta annorum gravissimum & calamitosissimum effecerat, ut omnis spes occideret, nec usquam stabulum confidentiæ esset, imò ut arbitraremur, nec ipsam Salutem nobis saluti esse, si cuperet posse, tanta nempe malorum agmina, tot malorum montes ex bello quotidie in nos irruebant, non sine ingenti omnium cordoliò Memini ego, Audit. non semel & hic & Saltquellis capulares senes, homines octogenarios dicere mihi, se tot annos bellorum æstu jactatos, & ut in undoso mari non uno vento agitados turbarum leditionumq; si vel Jupiter auctor spondeat, nunquam habituros hujus belli finem. Mediæ & constantis ætatis homines desperabant pleriq; pacem, diem se suum prius obituros rati, quam pacis aliquem portum visuros ex tam longâ bellicarum tempestarum navigatione. Et quid multa? quocunq; oculos mentemq; convertebamus, suspensa omnia & suspecta, & ut in domo malè fultâ signa plurima ruinæ. Ad summam, Audit. ut amnium omnium confluxus in oceanum; sic, cladum & miseriæ videbatur in hoc ævum. Mediis hisce belli motibus, mediis hiscè miseriis, rapinis, cædibus & tributis, his non corporum tantum, verum etiam animorum oppressionibus, Deus, quæ est infinita ejus misericordia, *ὡς ἀπὸ μηχανῆς* intervenit, & tantas tanti belli difficultates, per Sacræ Cæsareæ Majestatis & Serenissimæ Svedonum Reginae Plenipotentiariorum & Legatos felicissime expedivit. Quod si igitur alias res præclare gestas & ore & calamo prædicamus, quæ tamen neq; temporum sunt, neq; ætatum omnium neq; locorum, quanto magis

hic dies omni ætati valdè salutaris, est celebrandus, & in
eâ collatum omnibus beneficium, divinum certè ad feros
nepotes propagandum. Hòc fine unicò & solò, non vanæ
gloriolæ spe, aut emendicatæ laudis desiderio, hanc ca-
thedram conscendi, & dicendi partes in me suscepi. Et li-
cet non semel ex eodem hòc loco verba ad Vos fecerim,
nunquam tamen æquè ineptus ac indisertus mihi visus
sum, ac jam in tantâ hujus diei solennitate videor. Quam
dicendi difficultatem haud dubiè inde esse hariolor, quod
aliàs de literis, sine quibus vita ingrata & injucunda, ali-
quid afferendum fuerit, aut de ipsius sapientiæ studiis, sive
in porticu natis, sive in peripato, seu deniq; in florenti-
bus Hecademi sylvis; jam verò de Regum & Principum
negotiis, de bello videlicet & pace, quæ humili & plebeiâ
oratione nec poterant nec debebant celebrari, verba ha-
benda sint imperito mihi, & harum rerum prorsus igna-
ro. Quomodo enim homo inter Musarum tacitos recessus,
& literata hæc otia in pulvere Scholastico vitam agens,
qui procul à sceptris & bellis, procul ab omni negotiorum
strepitu & bellorum pulvere de tantis & tam arduis rebus
dignam orationem promittere posset? Quicquid tamen
sit, benè me sperare jubet propositum meum. Neq; enim
quibus de causis bellum suscipiendum, vel quâ gerendum
ratione dicturus sum, quod hoc ab artis bellicæ peritiori-
bus discendum, & à scholis paulò alienius sit, sed saltem
bellum tanquam omnis mali, pacem verò tanquam omnis
boni datricem & largitricem rudi quidem, sed non invitâ
Minervâ depingam. Ne autem nullo prorsus ordine videar
dicere, certos terminos & quasi cancellos orationi meæ
vel brevitatis vel perspicuitatis causâ constituam. Primò
enim originem belli, Secundò quàm illud dedeceat homi-
nem, Tertiò ejus etiam incommoda varia ostendam. In
alterâ

alterâ orationis parte pacis cōmmoda varia, & quid nostrî
pro illâ impetratâ sit officij brevibus enarrabo. Quod dum
facio, nullus dubito, quin præstituri sitis eam in me audi-
endō benivolentiam, quam soletis, eam attentionem,
quam vultus vester, & ista oculorum in me conjectio taci-
tè pollicetur. Quam benivolentiam vestram, quam atten-
tionem, si quis Deus mihi conciliaverit, efficere annitar,
ut fateamini discursum hunc meum, non solùm non in-
jucundum, sed animis vestris utilem, & vel solâ malorum,
quæ exanclâstis recordatione consolabilem fuisse. Interea,
A.O., à vobis omnibus & singulis summâ quâ possum con-
tentione & observantiâ peto, ut sicuti Luna splendorem,
quem ipsa non possidet à sole mutuatur; ita mihi quoque
benignitate & æquanimitate vestrâ succurrere, & serenis
animis ac placidâ aurium operâ adesse non dedignemi-
ni. Non minùs scitè & eleganter, quàm verè eloquentiæ
Romanæ princeps Cicero i offic. ait: Omnis quæ à ratio-
ne suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione
proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.
Hoc egregium Tullij monitum & nos observare decebit,
ne statim in limine deficiamus aut incoctum aliquid de-
mus, sed benè cocta omnia promamus. Bellum igitur, ut
definitionem quam Quid nominis vocant Logicorum
scholæ, primò locò examinemus, nonnulli dictum existi-
mant *κατ' ἀντιφρασην* quasi minimè bellum, cum ubivis va-
stationes, deprædationes, & cœdes in eò deprehendantur,
& maxima flagitia pro ludis habeantur jocisq;, ut haud
immeritò omnium malorum farrago & cunctarum imma-
nitatum quasi quædam epitome dici mereatur, imò pro-
verbio, aut veriverbio rectiùs exinde locus factus sit: Bel-
lum si dixeris, omne malum dixeris. Cui derivationi cur
calculus nostrum non addamus, & multa & magna ob-
stant,

stant, ex quibus hoc est præcipuum, quod allusiva sit hæc
etymologia nec omnibus bellis, quippe quorum multa à
Deo ipso præcepta sunt, competat. Huic è diametro repu-
gnat quod Perottus à bello, quod bonum significat, bel-
lum derivari scribit, quod boni gratiâ bella olim suscipe-
rentur, nec ad inferendam sed propulsandam injuriam
pacemq; parandam. Sunt qui à Græco βέλῳ, quod jacu-
lum significat deducere malint, quæ derivatio, licet non
adeò sit falsa, tamen cum paulò longiùs petita, pari jure
à nobis rejicitur, quò ab aliis proponitur. Quarta sententia
est quorundam à Belo jove primò bellorum (si Diis placet)
inventore bellum dictum esse autumantium, cum tamen
Berofus & Xenophon in æquivocis Nimrodum diu ante
bella gessisse asserant, quibus etiam adstipulatur scriptura
sacra, quæ si Berofi fides suspecta quibusdam, omni exce-
ptione major est. Hæc enim expressè ait: Nimrodum pri-
mum cepisse potentem esse in terrâ. Sunt præterea non
pauci, quos inter Salustius & alij, quibus bellum omnium
optimè derivatur à beluis, quarum bella sunt propria, nec
nisi ad ferinos flagitiosorum hominum mores ad homi-
nes translata. Ad hanc enim notationem nominis scri-
ptura sacra quàm proximè videtur accedere, quando
Nimrodum robustum venatorem fuisse memorat, quod
Lyrâ interprete, nihil aliud significat, quàm insidias stru-
xisse eum hominibus, eosq; aut capere, aut sternere soli-
tum fuisse, ut venator bestiis aliàs insidiatur. Neq; tamen
interea improbanda Hugonis Grotij sententia, qui l. 1.
de jure pacis & belli bellum ex veteri voce duellum factum
esse scribit, sicuti duonus antiquitùs dictum pro bonus, &
duis pro bis, unde etiam Bellona priscis illis seculis Duel-
lona vocata, notante Rosino ex Varrone. Neq; abs re est
quod dicit Grotius, sicut enim in sanctissimò Dei verbò

μνοει

προνομαχίας celebres continentur; ita apud Homerum, Li-
vium & alios sunt usitatissimæ. Definitur autem bellum,
ut definitionem quid rei (ut vocant) primoribus tantum
labiis degustemus, & extremis digitulis saltem attinga-
mus, à variis variè. Iustus Lipsius Belgij phœnix l. 5. civi-
lis doctrinæ cap. 3. bellum definit vim & arma in Princi-
pem aut populum alienum. Alij duorum exercituum pu-
gnam ritè priùs indictam. Nonnulli contentionem vo-
lunt esse duorum exercituum ritè priùs indictam, in quâ
vi & armis publicis agitur de re amissâ, seu de pace resti-
tuendâ. In quibus seu definitionibus seu descriptioni-
bus illud cum primis dignum notatu, quod bella nun-
quam suscepta antiquitus, cum nondum fugisset pudor

————— *verumq; fidesq;*
In quorum subiere locum fraudesq; doliq;
Insidiæq; & vis & amor sceleratus habendi,
quod, inquam, non suscepta fuerint bella, nisi ritè antè
indicta essent. Nam ex hoc intelligi potest, nullum bellum
esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut de-
nunciatum antè sit & indictum. Hinc Romani Feciales
suos habebant, quos ita dictos apud Varronem reperio,
quod fidei publicæ inter populos præessent. Hi bellum
indicturi hastam eamq; sanguine infectam in fines hosti-
um intorquebant, unde & ipsam Bellonam belli præsidem
hastatam finxit Statius Papinius. Deinde & illud non est
prætereundum silentiò, quod bellum duorum exercituum
quandam contentionem esse dixi. Si enim inter duos plu-
resvè homines decertationem fieri contingat, non bel-
lum illud, sed duellum esse censebitur. Et quamvis non-
nunquam plures quàm duo exercitus inter se congregi-
antur, tamen omnes illi ad duas præcipuè & quidem con-
trarias partes referendi. Sic in hoc triginta annorum

B

bello,



belli ἡμεῖς δὲ διὰ τὴν πάντων σὺν ἡμεῖς πάντα παραφύροντι, cuius finem per Dei gratiam vidimus, utinā diutissime & nos & posterī nostri videant, non unus, non duo, sed plures fuerunt exercitus, quos inter primarij Cæsareanus, Svecicus, Bavaricus, Gallico-Vinariensis & Cattorum, &c. quorum tamen alij pro Sacra Cæsareā Majestate & Religione Pontificiā propugnandā; alij contra pro Svecorum Regi-
nā, Germanorum & Evangelij libertate (ὡς λόγος ἐν θνη-
τοῖσιν ἔην) acerrimè pugnârunt. His ita præmissis breviter & pro ratione instituti nostri, neque enim in præsentia-
rum de bellorum divisione, quā aliud publicum, aliud pri-
vatum, aliud offensivum, defensivum aliud, hoc justum, illud injustum est & dicitur, verba facturus sum, multo
minùs verò quale nostrum fuerit bellum, quod pressit ha-
ctenus & fere oppressit Germaniam nostram, disquiram.
Sicuti enim hæc res periculi & solliciti timoris plena; sic
mihi homini de scholā ultra ferulas, præcipuè in nego-
tio tam arduo non est judicandum, cum & ipsi continua-
tores & scriptores hujus belli dubij sint & inter se contra-
rij, quin potius promissi mei memor, quæ bellorum pri-
ma sit origo, paucis edocebo. Occurrunt autem & hic
diversissimæ autorum sententiæ, ut bellorum primum au-
torem & inventorem neutiquam facilè prodi posse sta-
tuam. Reperiuntur enim, qui Ninum omnium primum
bellatorem esse volunt, quos inter Iustinus l. 1. cum in-
quit: Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem &
quasi avitum gentium morem novā ingenij cupiditate
mutavit, & primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc
ad resistendum populos, ad Lybiæ terminos usq; domuit.
Idem ille Trogi Pompeii abbreviator Iustinus l. 2. Vexo-
rem Ægypti Regem, quem primo epitomes suo libro Ninò
facit antiquiorem, omnium primum Scythis bella intu-
lisse

uisse affirmat. Sunt alij non pauci, qui Belloniam, alij qui Martem bellandi morem reperisse contendunt, quæ tamen sententiæ extra omne dubium erroneæ & falsæ. Auctor Horologij Principum M. Antonius de Guevara l. 1. cap. 30. scriptum reliquit, primam pugnam, quam in mundo commissam legimus, decretam fuisse in valle sylvestri ubi nunc est mare salis. Quinimò idem scriptor ex verbi Divini Oraculis, mentiri prorsus nesciis, ostendit, mille & octingentos annos inde à primò mundi exordio effluxisse, quibus nunquam congressi sunt, aut prælio decertarent populi. Et sanè vero simile est, mundum, quàm diu ambitione & cupiditate caruit, tam diu quid esset bellum ignorasse. Refert ergo bellorum originem Guevara in decimum tertium annum regni Chodorlaomor cujus historiam, qui volet, legat Gen. 14. Verum enim verò cum hac Guevaræ sententiâ è diametrò pugnat, quod Iosephus antiquitatum Iudaicarum diligentissimus scriptor, primi statim voluminis 3. c. tradit; jam tum ante Noachi diluvium Tubalcain fortitudine cunctis excelluisse, & res bellicas fortiter exercuisse. Ex quo autore ut antiquissimò, ita & fide dignissimò sole meridiano clarius est, militarem artem esse antiquissimam, & cum ipso fermè homine, aut brevi post eum conditum cepisse, vel ut verbis Magni Lipsii utar, nata esse bella cum orbe natò nec desitura nisi cum illò. Quicquid autem sit de belli & bellatorum origine, quam antiquissimam esse nemo facilè ambiget, hoc nihilominus extra omnem dubitationis aleam positum est, à belluis cepisse bella, & homines ab jis modum & rationem beligerandi esse edoctos. Cum his namq; primum homini bellum susceptum est, eò quod rudes & prisca illi mortales adhuc nudi sine manibus absq; tectò vitam in sylvis degerent, & nunquam non à beluis ac feris offenderentur.

Quod equidem nemini in historiarum cognitione, vitā
illa memoriæ & vetustatis nunciā, vel mediocriter saltem
versato, mirum aut insolens videbitur, cum & Iustinus
scribat, Scythas uxores liberosq; secum in plaustris vehere
solitos, domo & sedibus certis caruisse, & plaustris, coriis
imbrium hyemisq; causā tectis, pro domibus usos fuisse,
quem morem Scrickfinnos borealis plagæ incolas suo tem-
pore observasse memorat Saxo Grammaticus, & etiam-
num hodiè observare experiētiā plus satis constat. Pro-
inde qui beluarum & ferarum vim ab hominum genere
depulerant, illos variis mactabant laudibus, & ceu viros
primorum principes omni honorum cultu prosequaban-
tur, unde factum, ut æquissimum videretur jugulare ju-
gulantes, trucidare trucidantes, cum primis si nullis lace-
sitæ injuriis ultrò homines impeterent. Certabant autem
& resistebant beluis non instrumentis variis ad fallendum
aptis, sed pugnis unde pugna nomen habet, & calcibus. Ex-
in lapidibus fustibusq; pugnari ceptum est, teste Herodo-
to in Melpomene. Nec contenti fuerunt jugulare feras,
sed & pellibus earum sese muniverunt adversus rigorem
hyemis, quod Scythis præ cæteris in usu fuisse ex Hero-
doto & Iustino liquet. Illa autem belligerandi & venan-
di ratio qualis & quomodo instituta, haud difficile est
conjectu, si consideres, quam parum ab artefactis instru-
cta, & quibus armis usa sit illa tempestas. Neq; enim est
quod accipitres cogitemus, aut retia aut viscum aut si-
quid aliud ad fallenda animalia, & ut operæ parcat, cal-
lidis ingeniis est excogitatum. Sagittarum enim & arcuum
adeò fuere expertes, ut ne Germani quidem veteres in ve-
nationibus, qui tamen his de quibus sermo est tempori-
bus longè longè fuerunt posteriores, illis usi fuerint, fidem
huic rei faciente Iulio Cæsare l. 6. de bello Gallico. Ex qui-
bus

bono

8

bus

bus omnibus quotusquisq; est quin videat, à beluis & earum venatu bella in orbem primum derivata, præcipuè cum viderent non paucas esculentas esse & gulæ hominum non ingratas. Hinc temporis progressu eò processit gulæ tyrannis ut non modò nulli ferarum, sed & nulli volucrum, nulli piscium parceretur amplius. Scilicet hæ cadaverosæ voluptates occidendis pecudibus hominem quoq; nullo negotio occidi posse docuerunt. Hinc sævitum in ipsos homines! hinc homicidia prima! hinc latrocinia & spolia amari ceperunt! Excogitata igitur arma qualiacunq;, quibus se communirent, excogitata tela, quibus hostem perderent. Et ut nonnullorum armorum inventores in medium producamus, galeam gladium & hastam Lacedæmonii, & ante hos Ægyptij reppererunt: Loricam Mydias Messenius, Clypeos Proerus & Acrisius inter se belligerantes excogitarunt: Ocreas & cristas Cares quidam, lanceas Ætoli, falcem Thraces, securim Penthesilæa Amazonum regina: Arcum & sagittas Scythes Iovis filius, vel secundum alios Apollo. Largiamur hoc Plinio, & qui ex Plinio hausit Polydoro, nihilominus tamen & hoc tam certum, quam quod certissimum Moysen vetustissimum esse armorum inventorem. Quod si enim Ægyptiacarum rerum memoriam è Iosephi antiquitatibus excusseritis mecum, Aud., & fortissimum bellatorem fuisse Moysen, & primam expeditionem in Æthiopes gloriose apparavisse invenietis. Taceo jam catapultæ, fundæ, testudinum, arietis, vineæ, pluteorum & aliarum bellicarum machinarum inventores, de quibus satis copiose agit Lipsius in poliorceticarum libb., ad quos studiosos harum rerum ablegatos volo. Vnicum tamen silentio hic præterire non possum, quod pulvis tormentarius, quò nihil terribilius, perniciosius nihil ab humano ingenio excogitari potuisset, casu eoq; mirabili inventus

ventus fuerit. Cum enim ignobilis quidam Germanus, homo infra omnes infimos infimus, imo dignissimus, cuius memoria tolleretur funditus ac deleteretur, domi in mortario pulverem sulphureum medicamento præparandi causâ aliquando servaret, & lapide mortarium texisset, contigit, ut dum ignem è silice propè excuteret, scintilla quædam in mortarium deiceretur, quæ subito erumpens, lapidem in altum tulit. Hic inusitata rei casu edoctus mortiferæ hujus machinæ repertor, ferreâ fistulâ factâ & pulvere confectô, primum machinas & brevi post bombardas, quibus à sono nomen dedit (Græcis enim βούβη sonum significat) in maximam generis humani perniciem adinvenit. Hinc ergo (ut è diverticulo in viam redeamus) passim, hinc frequentiore manu & majori, sed beluino prorsus ausu variis machinis circumsepti & muniti, & variô bellorum apparatu instructi homines ceperunt conflictari. Nec verò voluntas male faciendi unum aut alterum tantum invasit, sed manus hominum & integros populos, & publicum odium publicâ clade se satiare expetivit. Ad hostiles igitur impetus cohibendos, & propullandos, muris & vallô se cinxerunt homines, ex quibus hostis hostem urgeret, invaderet, premeret, opprimeret. Nec huic tam manifesto hominum furori suus defuit honos, bellum appellârunt, scilicet hoc prætexunt nomine culpam, & virtutem quandam esse voluerunt, ferrô proinde ac viribus omnia tentârunt, fuderunt, profligârunt, armis, signis ac bellico apparatu alios exuerunt, & quâ quâ fieri potuit alios in fugam verterunt. Hæc bellorum origo, hæc tanta mali La-
bes, tantorum hæc causa malorum! Cœterum ne egredi-
ar extra eos terminos, quos initiô orationis ipse mihi circumdedi, venio etiam ad secundum, quod demonstrandum mihi sumpsi. Sicuti autem hætenus meliori fortè
inten-

intentione & affectu, quam vena ostendi, à beluis origi-
nem traxisse bella; sic eadem quoq; beluas potius decere,
quam homines haud est probatu difficile. Ecquis enim
est, Audit., qui considerans & æquâ animi lance secum per-
pendens habitum figuramq; corporis humani, non intel-
ligat protinus, naturam vel potius Deum animal hoc non
bello, sed amicitia, non exitio, sed salutis, non injuria, sed
beneficentia genuisse. Singulis enim generibus ad pro-
pullandos impetus externos sua propria munimenta con-
stituit, ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut
quæ sunt imbecillia subtrahant se periculis pernitate
fugiendi, aut quæ simul & viribus & celeritate indigent,
astu se protegant aut latibulis sepiant. Sic taurorum im-
petus armavit cornibus, leonum rabiem unguibus. Apris
fulmineos affixit dentes. Elephantos præter cutem & mo-
lem promuscide quoque tutatus est. Crocodilum crustis
veluti laminis communiuit. Delphinis teli vice pinnas ad-
didit, histricem spinis, rajam aculeis defendit. Alia eorum
vel plumis levibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta
ungulis, quibusdam in ore arma sunt dentes, aut in pe-
dibus adunci ungues, verbô dico, nulli munimentum ad
sui tutelam deest, adeò sapienter, adeò prudenter, adeò
ornatè & decenter omnia à summô omnium rerum archi-
tectô facta sunt, ut mirabiliter, si utilitatem cogites, instru-
cta, si speciem ornata videantur, adeò miro modô con-
sentit utilitas cum decore. Solum autem hominem ratio-
nalem quidem produxit, sed imbecillum, sed inermem,
sed mollissimum carne & cute levi. Nihil ibi reperitur,
quod à ratione ad pugnam aut violentiam datum videri
possit. Non dicam jam quod cœtera animalia, quam pri-
mum in lucem sunt edita, protinus erigantur in pedes
suos, & gestiant discursibus suis, statimq; aeri tolerando
idonea

idonea sint, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint, homo verò nudus & inermis, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miseras projiciatur & expellatur, qui neque movere se loco, ubi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre. Ex quibus omnibus haud dubiè conicere possumus, naturam ordinasse hominem, non ad bella & contentiones, sed ad auxilium & officium mutuum, adeoq; hoc animal totum amicitiae natum esse. Huc spectat etiam mitis & placida hominis species, non enim habet dentes ferinos, aut cornua & ungues, aut ungulas, aut caudam, aut varij coloris pilos, ut videlicet non nisi amoris & benevolentiae notas pra se ferat. Tribuit natura homini oculos amicos, & in his animi indicia. Vni risum attribuit, alacritatis indicium, uni lacrymas clementiae & misericordiae symbolum. Vocem insuper dedit, non minacem, non horrendam, sed amicam, sed blandam. Addidit praeterea liberalium disciplinarum studium, & cognitionis ardorem, quae res ut abducit hominis ingenium ab omni feritate, ita ad conciliandas necessitudines praecipuam vim habet. Postremo indidit etiam homini divinae mentis scintillam, ut etiam nullo ostenso praemio, tamen per se juvet bene mereri de omnibus. Hic habitus corporis humani, haec ejus figura & effigies quid aliud docet, Audit, quam pectora hominum pacatissima esse debere? Beneficiis enim humana vita constat & concordia, non terrore, non bello, sed mutuo amore in foedus auxiliumq; commune constringitur. Id quod porro ex eo perspicue palam est, quod reliqua animantia bruta in maximis periculis ad hominem soleant confugere. Hoc extremum illis asylum & refugium, haec ara sanctissima universis. Quapropter si brutorum est proprium belligerare, ut ostensum est, & ad

bruta

bruta spectat prima bellorum origo, imò si ipsa bruta ad hominem tanquam ad anchoram sacram confugiunt, quis est, quin videat, quantoperè bellum dedeceat homines? quodq; homines bellis delectantes brutis ipsis longè sint deteriores, cum pleraq; brutorum in suo quodq; genere, concorditer & civiliter degant, gregatim incedant, catervatim volitent. quin & ope mutuâ sese tueantur. Canis profectò caninam non est; sed homo homini lupus. Leo leonem non devorat; homo homini lupus. Draco draconem non deglubit; homo homini lupus, & nulla bestia etiam immanissima homini est perniciosior quàm homo. Præter hæc omnia, bestia naturalibus suis armis contentæ sunt, homines verò usque adeò flagrant belligerandi cupiditate, ut naturæ præfidiis non contenti varia arma, vineas, pluteos, machinas, gladios, hastas, bombardas, tormenta bellica majora & minora, fragore suo cœli tonitrua æquantia, imò & superantia excogitaverint, applicuerint & approbaverint, omnia in hominum perniciem. Inter feras uni cum unâ bellum est, & perbreve, neq; enim ullibi literarum monumentis proditum, aliquot beluarum millia mutuò laniatu concidisse. Adde quod sicuti feris quibusdam naturale est dissidium cum aliis diversi generis, ita rursus habent, cum quibus genuinâ firmâq; cohæreant amicitia. At homini cum homine & cuilibet cum quolibet, fratri cum fratre jugis pugna est, & nusquam tuta fides, quandoquidè ut verè scribit *περίδων τὸ σφὸν σῶμα ἡσίοδου*

ἢ κερὰ μὲν κερὰ μὲν κότες, ἢ τεκτονὶ τεκτων,

ἢ πτωχὸς πτωχῷ φθονεῖ ἢ αἰδοῦς αἰδοῦ.

Fingite, Audit, vos videre hic leonem cum ursò commissum, qui rictus videbuntur, qui fremitus, qui mugitus audientur, quæ ibi conspicietur immanitas, quæ fiet laniatio, ut etiam in tutò constitutus, non possit non timere. Sed, ô Deum immortalem!

C

quantò



quantò foedius spectaculum, quantò immanius factum,
animal cui amorem & amicitiam in sevit natura, tot telis
tot armis instructum, hominem nempe cum homine con-
gredi. Quàm ardent oculi, ut ora pallent, quantum fu-
rorem præfert incessus, quomodo vox frendet, quis cla-
mor, totus homo ferreus est, crepant arma, fulminant
bombardæ. O stultos! ô vanos! ô insanos homines! in
immanes bestias se convertunt, quos natura placidos fin-
xit. Et utinam, ô utinam non quærent huic insanix suæ
mantellum aliquod, imò non vituperandam eam, sed o-
mni potius encomiorum genere hanc suam vitam coho-
nestandam esse impudenter postularent. Neq; enim glo-
riam suam & memoriam meliùs relinqui posse futuris se-
culis censent, quàm si minacem cristam vertici imponant,
& fulgentem galeam, aut pinnatos cubitos & squamas in-
duant. Hæc illa est Circe, hæc Syren, hic hamus iniqui dæ-
monis, hoc laqueo innumeros caput! Verùm proh Deum
atq; hominum fidem! quid cogitari in mundo vanius pot-
est, quàm rationem velle habere mundi, qui nullius ra-
tionem habet, & Dei qui rationem habet omnium, ratio-
nem habere nolle? quæ major insania in hominem posset
cadere, quàm quod augendæ rei gratiâ & famæ acquiren-
dæ deteriore in dies singulos facit animum? Pleriq; sci-
licet famæ magnæ malunt esse, quàm bonæ, & vetus hoc
in naturâ malum est, quod multi, vel maxima potius ho-
minum pars vitæ correctionem dignitatis studio postpo-
nunt. Hinc videmus multos malè moratos & vagos juve-
nes, qui cum narrari audiunt prælium aliquod memora-
bile, in quò equites ejusdem ætatis, loci & ordinis alij ad-
miranda ediderint facinora, mox æmulatione conmo-
ventur, & bile æstuante togam repentè sagò mutare, ac
in militiam confestim proficisci gestiunt, exercitiisq; e-
questri-

questribus se totos tradunt. Deniq; impetu illo juvenili
impulsi, licentiam à Rege in militiam proficiscendi flagi-
tant, & inter agnatos pecunias quas absumant, conficiunt,
sed quod omnium est indignissimum, cum onusti nummis
exiverint, vitiis onerati revertuntur, ut experientia hujus
rei lucidissimus testis. Non paucos reperias, quibus adeò
præstrinxit aciem oculorum belligerandi libido, ut *Φύ-
σως γραμματεία τόν κάλαμον εἰς ἄνθρωπον ἀποβρέχοντα* (ita magnum
illud mundi miraculum Aristotelem vocat Suidas) stulti-
tiæ suæ patronum quærere impudentissimò ausu conten-
dant. Aristoteles enim iram vocat cotem fortitudinis, &
virtutis quasi fomitem quendam, unde stultissimè colli-
gunt, neminem posse adversus hostes fortiter dimicare,
nisi antea irâ fuerit concitatus, vel fascinatus. Cæterum
hos verosimiliter mentientes, imò toto cœlo errantes pur-
gatum caput helleboro Anticyras mittimus. Quod si e-
nim ira nobis data est, ut eâ ad occidendos homines uta-
mur, quid homine immanius? quid beluis similis existi-
mandum est, quàm id animal quod ad communionem &
innocentiam Deus condidit. Et ut hæc hominum perverso-
rum verbigeratio (liceat Apulei vocabulo festiviter no-
vato uti) adhuc clarius pateat, age, videamus quæso, qui
sint iræ limites & termini, intra quos consistere debet, si
laudem à Stagirite philosopho antea nominatam jure suo
sibi vindicare debeat. Sunt autem tres tales affectus qui
homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupidi-
tas, & libido, quò dubio procul Poëtarum figmentum de-
tribus furiis, quæ mentes hominum exagitant, collimat.
Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates,
eâ tamen lege atque omine, ut intra certos limites se con-
tineat. Quæris, qui sint isti limites? Id non est magni la-
boris ostendere. Cupiditas nempe ad ea comparanda no-



bis data est, quæ sunt ad vitam necessaria, libido ad sobo-
lem propagandam, iræ affectus ad coërcenda peccata h. e.
ut arctiore disciplinâ minor ætas ad probitatem Iustiti-
amq; formetur, quæ nisi metu cohibeatur, licentia pariet
audaciam, quæ in omne flagitium & facinus erumpet. Ita-
que irâ uti adversus minores, & justum est & necessarium,
adversus pares & perniciosum & impium. Impium quia
violatur humanitas; perniciosum, quia illis repugnanti-
bus aut perdere necesse est aut perire. Sed (proh) illi ho-
mines affectu iræ ad bonum usum nobis concessô, non
tantum ipsi pessimè abutuntur, & latius quàm par est eva-
gantur, sed & alios ad idem faciendum noctes atque dies
instigant. Silentij peplo jam involvam turpissimum cupi-
ditatis abusum, quâ utuntur ad congerendas opes, unde
fraudes, unde latrocinia, imò omnia scelerum genera ex-
orta sunt. Nec libidinis quicquam degustabo, quâ ad ca-
piendas tantum voluptates pessimè abutuntur, unde stu-
pra, adulteria, imò Gargara quædam malorum exorta, sed
ad tertium primæ partis membrum statim accessum faci-
am, monstraturus breviter, quæ & quanta belli beluini
sint incommoda. Unde autem & à quò potissimum exor-
diar, horum bellicorum incommodorum telam, valde a-
nimi pendeo, neque enim

Si mihi sint lingua centum sint oraq; centum,

Omnia bellorum percurrere crimina possem.

Omnia bellum exedit, exhaurit, absorbet, monstrum est
ac portentum ingens, neque Charybdis ipsa tam multa
vorat, neque ingens absorbet Oceanus. Ejus diuturnitate
quid horribilius? quid vastius? quid desertius? cujus effi-
giem ingens ille Romanorum terror Hannibal, cum è mon-
tibus Pyrenæis descendisset, autore Val. Max. talem vidit.
Serpentem scilicet mirâ magnitudine, cum ingenti strage
arbores

arbores & virgulta prostermentem, & nimbum cum fragore
cœli grandine & fulminibus gravidum corruptentem
villarum culmina domorumq; recta ac summas urbium
arces. Attonitus Hannibal quidnam esset monstri, ecquid
portenderet, interrogavit: Hic dux Italiæ vides, inquit,
vastitatem, proinde sile, & cœtera tacitis permitte fatis.
Præclara profectò belli effigies, quæ vivis coloribus & vel
ipsius Apellis penicillò Lernæum hoc monstrum depingit.
Quod si enim quicquam est in rebus mortalibus, quod
execrari, quod deprecari & propellere nos oporteat, cer-
tè bellum est, quò non alia res vel calamitosior, vel latius
perniciosa, vel hærens tenaciùs, vel tetrior, & in totum
homine indignior, ut ne dicam Christianò. Operum autem
bellicorum egregium catalogum nexuit Guevara l. 3.
cap. 13. Horol. principum cum inquit: Opera bellica sunt
hæc: Homines interficere, templa spoliare, populari regi-
ones, deprædari infontes, licentiam dare furibus, distra-
here amicos, excitare seditiosos, quorum nihil sine maxi-
mò justitiæ detrimentò & conscientiæ scrupulò fieri pot-
est. Et ut orationis vela (in re proh dolor notissimâ & vul-
gatissimâ) contraham, & ad portum respiciam, plus malo-
rum sensisse nos in bello ajo, quàm ullius sermo possit asse-
qui, nedum meus. Non tantum caries ligno, tinea vesti-
bus, scintilla stupæ, locustæ segitibus, gurgulio granariis,
quantum milites urbibus & oppidis, imò universo homi-
num generi nocent, pecus nullum relinquunt, quin jugu-
lent, nec hortum quin populentur (dicam liberè, verò
enim sunt veriora, & tanquam è tripode dicta, quæ re-
censeo) nec vinum quin exhauriant, nec alveare, quin ca-
strent, nec templum quin spolient, nec feram, quin venen-
tur, nec nummum, quem non extorqueant, nec flagiti-
um, quod non tentent. Perpetua illorum cantio, quam

Cum

cum lacte materno imbiberunt hæc est : Hæc mea sunt
veteres migrate coloni. Dictum factum, albis quadrigis
citiùs advolant, magnam pernisi pestem inferunt, ma-
gnam labem larido, magnam sumini absumedinem,
maximam laniis lassitudinem, maximam porcinaris,
quibus quando destituuntur, ipsi collos prætruncant
tergoribus, & non rarenter deturbant totum cum
carne carnarium, omnia Argô oculatiores, quippe
qui in occipitiò æquè ac syncipitiò oculos habent, per-
quirunt nec nisi inanias & araneos in domibus relinquunt.
Et quid opus est ulteriori oratione hæc prosequi. Mute-
mus personas, Audit, conscendatis ipsi cathedram hanc,
vel potius in intima cordium vestrorum penetralia descen-
datis, & spacium præteriti temporis, & belli hujus memo-
riam aliquantulum mecum recordemini. O benignissime
Deus! quam belli faciem vidit Marchia nostra & vicini
Episcopatus Magdeburgensis, & Halberstadiensis, ut alia
remotiora loca nunc taceam, Magdeburgum sanè plus-
quam stygiæ crudelitatis exemplò a Tyllio expugnata, sa-
tis, proh! docuit, bellum non aliâ ratione esse bellum,
quàm furia sunt Eumenides. Quantam & quam miseran-
dam stragem ediderunt ibi Croatæ, sævitum in viros fœ-
minasq; promiscuè, neq; (horresco referens!) imbellis
ætas impuberes servavit. Ut primum irruerunt sanguinis
& prædæ, instar muscæ sanguisorbæ, cupidissimi.

Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur, exsuperant flamma furit æstus ad auras,
atque ita incendio conflagravit tota civitas, non pluribus
quàm viginti quatuor horis, civitas illa (heu quondam!)
ut antiquissima, ita & nobilissima, Triginta incolarum mil-
lia ferrò & igne perierunt, secundum Everhardum VVaf-
serbergium, licet Carolus Carafa scribat, cæsorum nu-
merum referre vix quenquam posse. Multi ferrò cecidère,
non

non pauci igne miserrimè consumpti sunt. Sanguine ma-
duerunt templa, maduerunt altaria, aspersi sunt penates,
infecta flumina, & ipsæ nubes ad gemitus & lamenta ho-
minum scissæ. Inter alia sex egregia templa in cineres red-
acta, quorum quædam sectilibus laminis, quædam plum-
bo, & Divo Iohanni dicatum cuprò tecta erant. Quot ho-
mines apertis cellis & fornicibus mortui, semimortui in-
venti, quot formosissimæ virgines defloratæ, quot in per-
petuam servitutem abductæ, quanta hominum multitudo
in Albim se præcipitem egit. Tanta nempe fuit Tyllij,
tanta Croatarum crudelitas, ut ad Hierosolymitanum
excidium quam proximè videretur accedere. Tené præ-
teream Halberstadium, dilectissima patria, quam primùm
corpore hoc meò pressi, pedibus his institi, cujus aërem
hausi, in quâ infantia mea vagiit, pueritia lusit, iuventus
exercita & educata est, ubi familiare oculis cœlum, & mons
Bructerus toto orbe celeberrimus, ubi longâ serie cogna-
ti, amici, sodales. Impius essem, nisi hîc & tua fata ma-
xima profectò tangerem! Ex infinitis unius præcipuè re-
cordabor. In quas angustias conclusa, in quas miseras
conjecta eras propter reformationis executionem, cum
commissariis Alberto V Vallensteinio Friedlandiæ Duce,
& Comite Iohan de Tylli, Episcopo Osnabrugensi & aliis
missis, omnia templa a Catholicis reformarentur & occu-
parentur, cives verò Lutherani domo & focò propriò re-
lictis, cum uxoribus & liberis in exilium ire juberentur.
Quoties memini, sed vix sine lacrymis memini, me puerum
frequentissimas conciones, funebres præcipuè, audisse sub
Iove frigido in cœmiterio quod Neapolitanum vocant,
quercu ramosâ & saxo ad illam erecto cathedram mini-
strante. Heu qui singultus mulierum, qui virorum gemi-
tus passim inter pomposas, addo monstrosas & frustraneas
Ponti-

Pontificiorum processiones. Parum aberat, quin & ipsum
Divi Martini templum tibi occlusissent, superstitioso cul-
tu illud profanassent. Sed Deus pro infinita sua misericor-
dia cum ad eum modum pessime nexa esset fabula, & de
religione imò de capitibus nostris comitia haberentur,
mittebat libertatis adsertorem, *vov év αἰώνις*, Gustavum
Adolphum, cujus adventu omnes Cleri Pontificij conatus,
omnia consilia in fumos & ventos abibant. Verum quid
tempusterimus alienorum malorum recordatione? quid
mali sola nostra Gardelegia est experta? quas tempestates
quos bellorum aestus, tantos sanè, & tam varios, ut quid
primò, quid postremò loco dicendum sit, equidem nesci-
am. Anno 26 currentis seculi semina apud nos sparge-
bantur, futuras bellorum tempestates denunciante, hoc
enim annò Georgius V Vilhelmus b. m. Elector Brande-
burg. Dominus noster Clementissimus milites praesidiari-
os ad nos mittebat. Quos tumultus, quas turbas, non
multò post anno nimirum 28 m. Ian. Comes Papenhei-
mius urbem nostram ingressus, dederit, non sine ingenti
cordoliò recordabimini. Quae certamina, quos ludos
instituerit nostris sumptibus omnes nôrunt, qui Papen-
heimium nôrunt, & gnathonem ejus capitaneum Iven, de-
peculatore & honorum nostrorum expilatorem egregi-
um. Obliti estis? Ah quid oblivisceremini hujus circum-
spectatoris oculos emissitios habentis & doctis dolis, ac
facetis fabricis praè aliis instructissimi, hujus, inquam au-
spicio & ductu pileis colligi, vel ut verius dicam extorque-
ri à nobis pecuniam, imò pecuniae massas, & sacco ad Pa-
penheimium deferri. O si loqui posset platea nostra, quam
Magdeburgensem vocamus, quid illa tunc temporis lapi-
dibus nudata, quos ludos, quas exercitationes bellicas,
non sine juventutis & castarum faminarum scandalo ha-
bitas,

bitas, narraret. Quæ palatia, quas ædes magnificè extru-
ctas miles ejus destruxerit, multi nostrum non sine damno,
quidam etiam non sine lacrymis experti sunt. Nec satis e-
rat aurò & argentò omni nos emungi, sub Luneburgico
Duce, Papenheimio, Holkio, Comite de Lichtenstrin / Ros-
deritio, & alijs, (nam tot dominorum fuimus mancipia)
nisi capitaneus quidam Svecicus, infelici sydere ad nos mis-
sus, cui nomen Neorath, quod nomen an fatò quodam, à
novò pecunias extorquendi modò & consiliò huic homi-
ni tributum, an à majoribus tractum, equidem dubito,
alijs & quidem miserrimis modis nos tractâset. Cum e-
nim intellexisset antecessores suos, vix trium dierum co-
meatum, ac ne vix quidem reliquisse nobis, ille de se &
suis sollicitus, non sine urbis & totius patriæ nostræ di-
spendiò omnia vasa ærea, ferrea, stannea, plumbea, cuprea,
præcipuè verò majora illa, quibus cerevisiam coquimus,
celerrimè comportari jussit, minis, vi, & verberibus eò se-
natum adegit & cives, ut collecta illa vasa Hamburgum
missa, venderentur, & sibi pecunia numerata traderetur.
Quo factò, obsides quosdam, quos secum asportaverat,
restituit quidem, sed civibus & illorum liberis, nil nisi
inanas & araneas & vix pura elementa reliquit. Quista-
lia fando Svecicorum aut Cæsareanorum militum tempe-
ret à lacrymis? Neque tamen hic finis malorum fuit, sed
semper aliud ex alio malum, è Scyllâ semper in Charybdin
prolapsi sumus, & subinde venerunt, qui cicatricem ru-
bentem adhuc & hiantem refricarent. Eodem enim adhuc
annò nempe 36, integer exercitus Svecicus ad portas no-
stras castrametatus est, qui equitatu & peditatu suo urbem
intra & extra adeò exhausit, & tantam annonæ caritatem
effecit, ut omnibus nobis res ad restim rediret, & actum de
nobis esse videretur. Tum verò aratra nostra conversa in
D arma,



arma, vomeres in sagittas, simplicitas in malitiam, charitas in crudelitatem, justitia in violentiam. Ut jam nihil dicam de peste eöpsæ annö tum hïc, tum alibi grassante. Fugeres? sed quorsum? extra urbem miles omnia obsederat, undiq; & undiq; armorum strepitus. In urbe dira fa- mes & sævissima pestis duo maxima omnium malorum abominamenta, ut loquitur Orosius. Heu animus meminisse horret, luctuq; refugit, lacrymæ domi, querelæ in curiâ & plateis, luctus in animis, gemitus in pectoribus, ut pleriq; vitam morte commutare seriò exoptarent, tantum gemitu (uti Plautus ἀρχαίς) & mœstæ mœstitiæ nobis offerebat hic annus. Sed texamus porro hujus tragœdiæ telam & varias obsidiones & deditiones, aut quæ illarum præcipua fuit Krachtianam videamus. Cum enim Rocho- vius equitum magister insequente anno 37 urbe exire ju- beretur, & Cæsareanis portas pandere, illö reluctante, sclopetis ab utraque parte, quin & tormentis actum est, & eximiæ magnitudinis globi in urbem trajecti, donec res tandem eò deducta est, ut per ἀμνησίαν quandam & μνη- στικὰς in gratiam redirent, & urbs nostra obsidione li- beraretur. Quid dicam de Stralendorfij legione, egregia sui monumenta reliquit! de VVrangeliö, qui ruptis datæ fidei repagulis, quibus eum Serenissimus noster Elector sibi obstrinxerat, Svecis dedit Gardelegiam nostram denuò possidendam. Quid alios memorem quàm plurimos, quo- rum crudelitatem & in exigendis pecuniarum contribu- tionibus miram industriam meliùs novistis, quàm ego. Valeant interim & habeant, nos querelæ finem facientes memoriam malorum, quæ perpeffi sumus, jucundissimæ & desideratissimæ pacis consideratione abolebimus, si priùs hoc unicum monuero, quod omnia quæ dixi hi- storiorum more, (quorum hæc sunt requisita: ne quid falsi

falsi dicere audeant, secundo ne quid veri non audeant, tertio ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis) pro ut audivi & vidi absque affectibus irae vel odij recitaverim & pronunciaverim, ne videlicet Momus aliquis habeat, quod theonino dente rodere posthac valeat. Ne quaeso aegrè feratis, Audit. optimi, quod praeter tempus vos detinuerim, absque intentione meam calamus quaedam dictitavit, quae nunquam antea in mentem mihi venerunt, exiguum temporis spatium adhuc commemorari & aurium operam prothymè mihi largiri ut dignemini obnixè rogo. Post centum enim annos, nec ego de pace dixero, nec vos dicentem me audietis. Ut autem de re omnium optimam, tot ardentissimis precibus, tot votis, tot annos expetitam & desideratam & breviter & perspicue agamus, à nomine, quod uti dulce est; ita etiam significat rem cum jucundam, tum salutarem, primum exordiamur. Pax à pactione seu à paciscendo, quod videlicet regnum cum regno, & natio cum natione novum amicitiae foedus pangat, & novae necessitudinis vinculo inter se copuletur. Pacis proinde vocabulum nihil aliud significat, quam multorum inter se mutuam amicitiam, & conjunctionem, sicut bellum plurium simultatem indicat. Idem ex Graeco vocabulo multo clarius patet, quod ex *ἰσ* & *εἰρ* derivatur Grammaticae peritis, quod mentes hominum inter se contrarias & è diametro pugnantem neccat rursus, & discussam contentionum nebulam pacis & concordiae aliquam serenitatem reducat. Quod si igitur nomen pacis tam amabile, tam dulce tam jucundum, quid putatis, Audit. rem ipsam aliud futuram, nisi maximum amorem & summas generis humani delicias, praepremis verò nobis, qui Martio pulvere toti toti fuimus obteati & pessimè

peffimè deformati & defloccati. Quemadmodum enim bona valetudo jucundior est jis, qui è gravi morbo reva- luerunt, quàm qui nunquam ægrò fuerunt corpore; sic etiam nos aurea pax, anxie desiderata hætenus, & serio expetita eò magis & magis delectabit, quàm si afidue illà frui effemus. Contentionum & discordiarum nubes quædam obfcuraverat Germaniam noftram, morbus gra- viffimus, peccatis noftris ita merentibus, eam invaferat, ut etiam de vitâ ipsâ propemodum desperaret, fed difcus- fa est nebula illa, Deo clementer annuente, & priftino vigori feu reftituta Germania, feu brevi reftituetur. Cepit enim hætenus novum quoddam ver rebus humanis af- fulgere, coluntur rurfus agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur villæ, exftruentur oppida, in- ftaurantur jam tum collapsa, ornantur & augentur. Vi- gent rurfus leges, quæ inter arma filuere, floret Reipubli- cæ difciplina, fervet religio, valet æquitas, calent opi- ficum artes, efflorefcunt denuo honeftiffimarum difci- plinarum ftudia, eruditur juvenus. Bonis aufpiciis nu- bunt virgines, vox fponfi & fponfæ auditur. Florent boni, minùs peccant mali. Quæ omnia à me recitata bona, quorum innumera alia ex aureâ pace, tanquam ἐξ Ἀμαλθείας κέρως, non ita pridem publicatâ, in Ger- maniam noftram redundant. Poftquam enim Invidiiffi- mus Imperator FERDINANDUS, quod nomen, non nifi amorem, nifi concordiam, nifi pacem fpirat, reafpe & haud exiguo fui ipfius detrimentò comperiffet, non du- raturam amplius Germaniam, tot belli tempeftatibus miferè quaffatam, & velut in undofò mari variis bello- rum procellis hinc atque hinc agitatum, nifi mature sup- petias ferret, factum est fingulari Dei providentiâ, ut tum ipse:

ipse Imperator verè Augustus, verè pacificus, tum etiam
Serenissima Svecorum Regina, Duces, Electores & Prin-
cipes, quos inter non postremò locò ponendus Serenissi-
mus noster Elector, Dominus noster clementissimus,
miserti tandem patriæ suæ fessæ & jam jam ruituræ de
fulcimentò pacis ei substernendò cogitarent. Locus huic
tam nobili tam salutari, tam necessario & Divino pro-
posito continuando lectus fuit Hamburgum, emporium
& urbs Hanseatica famâ usque ad sydera nota. Brevi post
actio illa pacis Monasterium & Osnabrugum anno nimi-
rum 43 translata, ubi inter Comites Generosissimos Ma-
ximilianum de Trautmansdorf & Iohannem Maximilia-
num Lambergium &c. à parte Cæsareâ; à Svecorum ve-
rò parte inter Generosissimum Comitem Iohannem Axe-
lij Oxenstirn & Nobilissimum Iohannem Salvium regni
Svecici consiliarium intimum, assistente & dirigente Spi-
ritus Sancti gratiâ, deliberari, agi, moveri, responderi,
obici, reponi cepit, donec tandem (pro quo tibi, ô fan-
tissima TRIAS immortales gratiæ!) die 14 Oct. anno
aræ usitatæ milles. sexcentes. quadragesimo octavo, Pax,
sed ut speramus, sincera, sed fida, non imponens fuca-
tò nomine, aut mox in fumos, aut novam servitutem
abitura, sed certa, sed tuta, atque in posteros transfe-
renda, publicata, & toto orbe Européò applaudente,
confirmata. Hem quid hîc non molita Ate? quas tur-
bandi, & evertendi partes hîc sibi non sumpserunt quâ
illi, qui nescio à quo Lojolâ inauspicatò partu editi, quâ
alij percussores Principum, paricidæ humani generis, in-
cendiarij orbis terrarum, qui non nisi innocentum san-
guine vivere, non nisi bonorum ruinis stare possunt. Sed
Clementissimus Deus, qui non est dissensionis, sed pacis

D 3,

Deus



Deus omnes illorum conatus fecit irritos, cogitavit super nos cogitationes pacis & non afflictionis, ut daret nobis finem & patientiam. Iussit gladium ingredi in vaginam suam (ut cum Ieremiâ loquamur) refrigerari & silere. Quid ergò tandem hîc nostri erit officij? Abundè id nos docuerunt hesternæ duæ conciones solatiô & doctrinâ refertissimæ, mandatô Serenissimi nostri P. habitæ, quas cordibus nostris inscriptas & infixas nunquam non repetere & ruminare assidue fas erit. Ego autem idem cum illis faciendum judico, Deo scilicet immortales gratias habendas, sine intercapedine laudandum Deum, & cum Davide ingeminandum: Laudate, cantate, jubilate, exultate, psallite. Percommodè hîc locò in mentem venit, quod in Illust. ad Elimum, magni nominis philosophus de Henrico Glareano in publicâ lectione aliquando recitabat. Henricus Loritus Glareanus, cujus doctissimæ annotationes in multos Historicos hodieque extant, prælecturus & explicaturus aliquando Svetonium, cum cathedram conscendisset, altâ & quidem eleganti, quâ pollebat voce incepit canere: Grates nunc omnes &c. quod cum auditores, qui aderant in magnâ frequentiâ, magnâ cum admiratione audivissent & vidissent, ceperunt ridere omnes, quippe qui eum non cantaturum sed dicturum rati erant. Quò visò Glareanus velut increpitans inquit: Nolite ridere, meritò omnes & singuli grates agimus Deo, qui nos è manibus tantorum tyrannorum clementer eripuit, quorum vitam sum prælecturus vobis. Sic & ego ajo: Grates nunc omnes reddamus Domino, nolite ridere, nolite oblivisci, res seria agitur, à tyrannis liberavit nos Deus, Cyclopes illos, qui devoratum omnes nos venerant, & subinde,



ὡς Ἰαῦμα illud πελώριον apud Homerum, hæc eructabant
verba:

Οὐδ' ἂν ἐγὼ διὸς ἔχθ' ἀλευάμεν πεφιδόμην

Ὅτι σὺ δ' ἐταίρων, εἰ μὴ θυμὸς με κέλευει,

Cœlestis Vlysses omnes prostravit, merito igitur gratias
agimus Deo, merito hoc tantum beneficium,

*In freta dum fluvij current dum montibus umbra
Lustrabunt convexa, solus dum sydera pascet,*

memori servamus pectore. Post Deum & Cæsarem, et-
iam gratias maximas & agere & habere debemus Sere-
niss. Electori Brandenburgico, Domino Friderico V Vil-
helmo Dn. nostro clementissimo, qui si quisquam ali-
us, pacem juvit, promovit, reduxit, munitissima loca,
fertilissima & quod caput rei est maritima loca hæredi-
tariò & optimò jure ad se spectantia subditorum suo-
rum saluti postponens. Viventium curam ut fidelissi-
mus pater patriæ egit, & simul posteritati providit.
Et medius fidius non patietur ejus Serenitas, ut tan-
ta hæc beneficia, quibus per illum fruimur, vitâ e-
jus definiantur, quam sicuti perpetuam, quamvis ve-
limus, ipsi tamen præstare non possumus, ita longissi-
mam & non nisi seris annis finiendam omnes vovemus!
Immortalem Deum non desinentibus votis orabimus, po-
scemus, flagitabimus, ut omnia quæ Celsissima ejus Sere-
nitas suscipit, cogitat, agit, benè prospereq; cedant in propri-
am & subditorum salutem. Exultet pace Marchia Branden-
burgensis! floreat tranquillitate Marchia Brandenbur-
gensis! Triumphet concordia Marchia Brandeburgen-
sis!


sis! floreat in ea pax interna externa & tandem æ-
terna. Postremò

*Procul hinc procul omnia
facessant pralia
quies & pax inslyta*

*Salus & mens conscia
sua jam tabernacula
ponant in Germaniã*

Perennent in Germaniã.

D I X I



Fe 765



ULB Halle
002 413 515 3

A standard 1D barcode is located on the library label, positioned below the identification number.

TA-OL

VD 77

42



Georgii Cal
Sia Em
H. v. m. Com
latib. H
Kalin





SAMVELIS GELHVDI
DE
BELLO ET PACE
ORATIO,

In quâ de Origine, Naturâ & In-
commodis Belli, item de Pacis Encomiô disse-
ratur, in perpetuam pacis à Deo tot gemitibus, tot su-
spiriis impetratæ, & Monasterij publicatæ & confir-
mataæ, memoriam postridiè festi Eucharistici Oct. Id.
Novemb. anni superioris per totum Electora-
tum Brandenburgensem habiti,

Recitata

GARDELEGIAE SENONVM,

Iam vero typis excusa



HELMESTADI,

Apud HENNINGVM MULLERVM

ANNO MDC LI. 1. 296

1714

